



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribvs Ecclesiasticis Liber Vnvs

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

De Scriptoribvs Ecclesiasticis Testamenti Veteris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)



DE SCRIPTO RIBVS ECCLESIASTI- CIS TESTAMENTI VETERIS.

De Mose. 2483.

Moses Propheta sanctissimus, & verustissimus, & primus inter Scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundum meum compendum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio ab initio Mundi. Vixit annis centum viginti. Anno octogesimo vitae suæ suscepit iussu Dei Principatum Hebræorum, id est, anno mundi 2483. obiit anno mundi 2523. Scripsit Pentateuchum, id est, quinque volumina, quorum nomina ab Hebreis sumuntur à primis verbis librorum.

Itaque primum vocant berelcit, id est, In principio.

Secundum veelle semot, id est, Hæc sunt nomina.

Tertium, vaicra, id est, Vocavit autem.

Quartum, vaiedabber, id est, Locutusque est.

Quintum, elle addebarim, id est, Hæc sunt verba.

Græci, & Latini denominant hos libros à materia, de qua agitur in principio libri, & quidem primum librum vocant Genesim, quia initio scribitur generatio celi, & terre, & reliquarum rerum creatarum.

Exodum vocant librum secundum, quia initio describitur egressio filiorum Israel de Ægypto. Exodus enim egressum significat.

Tertium vocant Leuiticum, quoniam in eo describi-

A
runt

tur officium Leuitarum circa tabernaculum , sacrificia & alia id genus.

Quarum vocant Numeros , quoniam initio libri numeratur multitudo filiorum Israel per tribus , & familias suas.

Quintum vocant Deuteronomium , quasi secundam legem quoniam in eo reperitur , & explanatur lex Domini data in Monte Sina .

Ex his libris intelligi potest , Mosem fuisse virum doctissimum , non solum in omni sapientia Ægyptiorum , ut dicitur à sancto Stephano Actor . 7. sed etiam in arte Historica ; Poetica , Oratoria , Morali , & Theologica ! Scribit enim Historiam , Genealogias , & res gestas Patriarcharum ab orbe condito usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto , id est , ab initio temporum usque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium , imo etiam usque ad obitum suum , id est , usque ad annum bis millesimum quingenesimum vicesimum tertium . Quæ autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo capite Deuteronomii , addita sunt , vel à Iosue , vel ab Esdra , vel ab alio aliquo Propheta .

Quod etiam Poeta insignis fuerit Moses , testantur duo canticum ipsius , alterum Exod . 15. alterum Deuteronom . 32. De arte ipsius Oratoria testatur Oratio , quam scribit sub nomine Iudæ ad Joseph . Genesis 44. & alia ipsius Mosis ad Deum . Numer . 14. & exhortationes , vel reprehensiones ad populum . De scientia Morali , & peritia legum condendarum , non tam proprio ingenio , quam inspiratione diuina , testis est magna pars Exodi , Leuitici , & Deuteronomii . Denique de mysteriis Theologiae , sub figura Arcæ fœderis , & vestium sacerdotalium , & totius tabernaculi , testis Philo Hebræus , qui has allegorias subtilissimè explanauit .

Scripserunt vitam Mosis Philo ex Iudæis , & Gregorius Nyssenus ex Christianis . Tribuuntur Mosi psalmi undecim à sancto Hieronymo , & aliis : sed probabiliter existimauit sententiam sancti Augustini , & aliorum , qui

qui totum psalterium Davidis esse volunt. De quare scripsi in prefatione Psalmorum.

De Iob.

IOb, ad miraculum visque sanctus, & doctus, ante Mo-
sem vixit. Nam ex sententia Græcorum, & mul-
torum Latinorum, fuit tertius ab Esau, & quintus
ab Abraham. Moses autem fuit quartus à Iacob, &
sextus ab Abraham. Sed ex sententia Hebræorum,
& sancti Hieronymi in questionibus Hebraicis, Iob
non descendit ab Esau, sed à Nachor fratre Abrahæ; &
fuit tertius à Nachor fratre Abrahæ, ac per hoc multo
antiquior Mose. Quod etiam ex ætate colligitur. Iob
enim vixit centum quadraginta annis post plagas, ut
dicitur in fine libri, & antea vixerat multos annos, cum
septem filios, & tres filias genuisset. Quare non ma-
lè sanctus Isidorus in libro de vita & morte Patrum ca-
pite vigesimo quarto scribit, Iob vixisse ducentos
quadraginta octo annos, ad quam ætatem Mosis tempo-
re nemo perueniebat. Mihi sententia sancti Hieronymi
semper visa est probabilior, tum propter distantiam æta-
tis, ut diximus: tum quia pronepos ille Esau, non dicitur
Iob, sed Iobab, ut notum est ex Genesis capite trigesimo
sesto, quo nomine nunquam vocatur Iob, neque in li-
bro Iob, neque apud Ezechiem capite, decimoquarto,
neque Tobiae primo, neque Iacobi quinto, in quibus so-
lis locis sit mentio sancti Iob. Ac ut magis appareat dif-
ferentia: sciendum, sanctum Iob, ita scribi Hebraicè
יֹב pronepotem autem Esau, ita scribi **יְבָבָה**, ubi
differentia est in ipsis radicalibus literis. Quod autem
aliqui respondent, literam aleph, aliquando excidere,
& nomina sæpè contrahi; non magni momenti est. Nam
literæ radicales non solent excidere: & si, Iob, esset no-
men contractum, aliquando legeretur integrum in li-
bro, ubi passim nominatur: nusquam autem legitur, nisi
Iob.

At contra obiicitur argumentum ex editione 70.

Interpretum. Habetur enim in ea editione appendix ad finem libri Iob, in qua dicitur, Iobum fuisse de filiis E-sau, & quintum ab Abraham. Sed ea appendix non videtur de textu 70. sed ab aliquo addita: alioqui non ita libere à sancto Hieronymo reiiceretur. Sed quicquid de hoc sit, auctotem libri Iob sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. scribit fuisse Mosem, aut ipsum Iob, aut ali-um ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, au-ctorem libri fuisse Iob, sed non pauciores volunt fuisse Mosem.

Mihi utraque sententia videtur vera, si ita dicamus, ab ipso Iob fuisse annotatas res eius gestas lingua Arabica: sed à Mose fuisse postea ex volumine Iob compositum li-brum, quē nunc habemus, lingua Hebraica, addito prin-cipio, & fine, id est additis illis verbis, Vir erat in terra Hus, nomine Iob, simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo; & ad finem addita motte ipsius.

Quod autem liber, qui nunc extat, sit Mosis potius, quam Iob; ideo mihi persuadeo, quia & Hebræi doctores ita sentiunt, & rationes non contemnendæ pro hac sen-tentia possunt adferri.

Primum enim si Iob esset auctor libri, qui nunc extat, primus scriptor sacer esset Iob, non Moses. Iam enim ex ætate ostendimus, & ex ipsa scriptura, Iobum fuisse anti-quiorem Mose. At communī consensu, Moses est primus scriptor Ecclesiasticus.

Deinde si Iob esset auctor libri huius, non esset hic liber in canonem scripturarum ab Hebræis admisitus. Iob enim non fuit de filiis Israel, sed Idumæus, vel Arabs: Idumæi autem, & Arabes pro hostibus habebantur ab Hebræis!.

Præterea liber Iob Hebraicè scriptus est, non Syria-cè, vel Arabicè, quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, præsertim quando introduceuntur loquentes a-mici Iob: at Iob, non Hebraicè scripsit, si quid scripsit, sed lingua sua. Quod si non est Iob auctor libri huius, nulli melius tribui potest hoc opus, quam Mōs, qui fuit temporibus Iobi. Quod enim quidam dicunt auctorem hu-

Testamenti veteris.

5

huius libri esse Salomonem: ex auctoritate sancti Gregori Nazianzeni Oratione ad Julianum exactorem seu veterius, exæquatorem tributorum: non magnificiendum est, nam sanctus Gregorius non dicit, Salomonem esse auctorem libri Iob, sed solum citat sub nomine Salomonis quædam verba, quæ habentur apud Iob cap. 3. Sed facile fuit, ut sanctus Gregorius ex lapsu memoriae verba vniuersi auctoris tribuerit alteri: præsertim cum eo loco verbis, quæ sunt apud Iob, adiunxerit etiam alia, quæ non sunt apud Iob.

De Iosue. 2523.

Iosue filius Nun, successor Mosis fuit in principatu Hebreorum anno mundi 2523. qui populum post obitum Mosis rexit annis viginti sex, & obiit anno centesimo decimo vite sua, ut habetur in ultimo capite Iosue. Quis auctor fuerit libri Iosue, non est omnino certum. Nam sanctus Athanasius in Synopsi rectè monet ex nomine libri non necessario colligi auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Iosue, quia continet res gestas Iosue: & eodem modo dicuntur libri alii, vel Iudicum, vel Ruth, vel Regum, vel Tobiae, aut Iudith, aut Esther, aut Machabæorum. Theodoreetus in libro de questionibus in Iosue, existimat, librum Iosue scriptum ab auctore anonymo, qui scripsit librum iustorum, de quo dicitur Iosue 10. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Sed hoc argumentum nihile sufficit. Nam non agitur eo loco, nisi de ingenio illo prodigio, quo ad verbum Iosue Sol, & Luna steterunt. Hoc enim prodigium cum aliis similibus videatur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber iustorum.]

Sanctus Isidorus libro sexto Originum cap. secundo affirmat, librum Iosue scriptum fuisse ab ipso Iosue. Et hoc verissimum nobis esse videtur, tum quia in extremo capite huius libri dicitur de Iosue, scripsit omnia verba hæc in volumine legis Domini: tum quia omnino credibile est, Iosue ministrum, discipulum, & successio-

A 3

cessio-

cessorem Mosis , imitari voluisse Dominum , & Magistrum , & prædecessorem suum : vt sicut ille ad æternam memoriam literis mandauerat res gestas in populo Dei usque ad sua tempora ; ita & ipse ficeret , cum ei nec scientia , nec assistentia Spiritus sancti in scribendis sacris historiis decesseret . Porro pauca , quæ adduntur in fine libri de morte ipsius , & sepultura , sine dubio scripta sunt à Successoribus , quicunque illi fuerint , & verisimile est à Samuele , vel Esdra .

De Samuele Propheta . 2878.

Samuel Propheta fuit ultimus Iudex & Princeps populi , antequam Reges creari cœpissent . Suscepit autem Principatum anno mundi 2878 . præfuit annis 20 . Hunc fuisse auctorem libri Iudicum , & Ruth , & libri primi Regum , docet sanctus Isidorus libro sexto Originum cap . secundo , & quod attinet ad librum primum Regum , in quo continentur res gestæ Dauidis , testatur liber primus Paralipom . capite ultimo eum scriptum fuisse à Samuele ,

Dicitur etiam li . 1 Reg . c . 10 . à Samuele fuisse scriptam legem Regni : sed hæc non videtur extare .

De Dauide . 2919.

Dauid Rex & Propheta regnare cœpit anno mundi 2919 . & regnauit annis 40 . vt scribitur lib . 3 . Regum cap . 2 . scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta . Sic enim docent Chrysostomus , Theodoretes , Cassiodorus , Euthymius , & alii præfatione in Psalmos , & sanctus Augustinus libro 17 . de Civitate Dei cap . 14 . quamuis autem sanctus Hilarius præfatione in psalmos , & sanctus Hieronymus in epistola ad Cyprianum , velint psalmos esse compositos ab auctoribus qui nominantur in titulis , vt à Mose , Salomon , Asaph , Chore , Idithum : tamen probabiliorem estimamus sententiam priorem . De qua re differimus præfatione in explanationem Psalmorum . Extat quidem psalmus quidam brevis extra numerum centū quinquaginta

ginta psalmorum, sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum capite vltimo, & Tridentinum less. 4. non ponunt in canonem scripturarum nisi psalmos 150.

Porro David non solum Propheta eximus fuit, sed etiam poeta venustissimus, & doctissimus: & scientiam habuit historiæ sacræ, legum diuinarum, moralis, & naturalis philosophiæ. Quæ omnia in psalmis mirificè apparent.

De Gad, & Nathan. 2959.

Gad, & Nathan Prophetæ prosecuti sunt res gestas Davidis, quæ habentur in libro primo, & secundo Regum & initio tertii, ab eo loco, ubi desit Samuel. Sic enim scribitur lib. i. Paralipom. cap. vltimo, Gesta Regis David priora, & nouissima scripta sunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis. Æras horum duorum Prophetarum necessario debet poni post obitum Davidis; qui obitus contigit anno mundi. 1959.

De Salomone Rege sapientissimo. 2959.

SAlomon Rex, Davidis Regis filius regnare coepit anno mundi 1959. & regnauit annis 40. ut scribitur Regum libro 3. capite 1. scripsit sine ulla controuersia libros tres Proverbia, Ecclesiastem, & Cantica canticorum. De libro Sapientiæ nonnulla quæstio est. Nam non habetur in Codicibus Hebraicis, sed solum in Græcis, & Philoni adscribitur Iudæo, teste sancto Hieronymo præfatione in Proverbia Salomonis. Sed tamen à veteribus Patribus communī consensu hic liber tribuitur Salomoni, ut notum est ex Eusebiol. 4. hi. c. 22. Tertulliano de præscriptione, Cypriano de mortalitate, Hilario in psalm. 117. Ambrosio sermone 8. in psal. 118. Basilio lib. 5. in Eunomium, Epiphanius hæresi Anomæorum, & Augustino tractat. in psal. 63. & ipse auctor libri Sapientiæ ca. 9. testatur, se fuisse Regem in Israel, & sibi à Do-

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

mino imperatum, ut templum ædificarer: quæ in Salomonem propriè conueniunt. Sed hæc discordia facile conciliabitur, si dicamus, sententias huius libri esse Salomonis, sed collectas in vnum volumen, & Græcis verbis expressas à Philone, non illo, qui tempore Caii Imp. floruit, sed alio antiquore. Iosephus lib. 8. antiquitatum capite refert à Salomone scriptos fuisse libros Odorum, & carminum quinque supra mille: & parabolarum libros ter mille. Item scriptas ab eo fuisse incantationes, quibus morbi curantur, & dæmones pelluntur. Quævidetur parum verisimilia; sed siue sint vera, siue falsa, certum est ea hoc tempore non extare, & fortasse ex verbis Iosephi, occasionem acceperunt aliqui perditæ homines tribuendi Salomonis librum perniciosissimum, qui inscribitur clauicula Salomonis. Sanctus Athanasius in fine Synopsis commemorat inter apocrypha psalmos, & cantica Salomonis. Et ad hunc diem inueniuntur, in Bibliotheca Vaticana, psalmi, & Odæ Salomonis; sed an sint illa, quorum meminit sanctus Athanasius, incertum est.

De Iahia & Addo. 3000.

AHiæ, & Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur in secundo libro Paralipomenon cap. 9, siue sint eæ, quæ narrantur in tertio libro Regum, siue res aliæ. Quis autem scripserit reliqua, quæ habentur in libro tertio Regum post cap. vndecimum, & in toto quarto, & in duobus libris Paralipomenon, nō est omnino certum: sed credibile est scripta fuisse à Sacerdotibus, & Prophetis illorum temporum.

De Osea. 3170.

Prophetæ tam maiores, quam minores floruerunt post diuisionem Regni, quæ facta est post obitum Salomonis. Quo etiam tempore vixerunt auctores librorum Tobiæ, Judith, & Esther. Sed ut eos ordine disponamus, statuendum esse videtur ut certum, Prophetas minores eo propheticæ ordine, quo in Bibliis Hebraicis, & La-

& Latinis collocantur; quamuis in Græcis sit aliqua diuersitas, & de Abdia, & Habachuc sit non exigua difficultas. Ratio huius fundamenti est, quia videmus, Prophetas maiores sine vlla controversia suo ordine collocatos, ut Isaías præcesserit Hieremiam, & Hieremias Ezechielem, & Ezechiel Danielem. Item quia magna pars Prophetarum minorum sine vlo dubio ita collocati sunt, ut Oseas Ioelem præcedat, & in fine Aggæus Zachariam, & Zacharias Malachiam. Proinde colligi potest, omnes esse suo ordine dispositos: neque ex cogitari potest vlla ratio, cur prior tempore debuerit posteriori postponi: nisi cum classis (ut sic loquar) variatur. Maiores enim Prophetæ suam classem faciunt, & minores quoque suam. Sed nos ex vtrisque vnam classem faciemus, ut secundum ordinem temporis omnes collocemus.

Primus omnium tam maiorum, quam minorum fuit Oseas, qui prophetauit, ut ipse testatur, in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioaſ Regis Israel. Annus autem, quo regnare cœpit Ozias in Hierusalem, fuit vicesimus septimus, quo regnauit Hieroboam in Samaria, videlicet ter millesimus centesimus septuagesimus. Fuit autem Oseas de tribu Isachar, ut Epiphanius testatur: & iussu Domini accepit vxorem fornicariam, ut significaretur fornicatio populi, per idolatriam à Deo: & propter hoc peccatum prædictum captiuitatem decem tribuum; & deinde captiuitatem etiam duarum aliarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor.

De Iobel. 3170.

Græci post Oseam ponunt Amos: sed Hebraici, & Latiani codices ponunt Iobel. Sed non est res magni momenti, quia fuerunt omnes isti tres Prophetæ Synchroni, id est, contemporanei, ut sanctus Hieronymus loquitur initio explicationis Ozeæ: & quia Iobel non definat tempus, quo prophetauerit, intelligitur pro-

A. S

phe-

phetasse sub eisdem Regibus, ut scribunt sanctus Hieronymus in caput primum Iocelis, & sanctus Augustinus libro decimo octavo de Ciuitate Dei, capite vicesimo-septimo, & Theodoreetus in prologo super duodecim Prophetas.

Porro Iocel prædictit duabus tribubus, quibus propriè Propheta datus erat à Deo, Babyloniam captiuitatem, easque ad pœnitentiam hortatur; & in extremo vaticinio prædictit aduentum Messiae, & Spiritus sancti per eummittendi, & ultimi iudicij diem. Obiit in pace.

De Amos 3170.

AMOS prophetavit eodem tempore.¹ Nam initio dicit, se visionem suam vidisse in diebus Ozia Regis Iuda, & in diebus Hieroboam filii Iosas.

Prædictit ipse quoque captiuitatem, & alia grauia flagella; & grauissimè in scelera inuestitus à filio Amasis Sacerdotis fuste inter tempora percussus interiit, ut Epiphanius testatur in libro de vita, & morte Prophatarum.

De Isaiā. 3190.

POst Amos sequitur proximè Isaías, primus ex majoribus. Quamvis enim tam Osee, quam Isaías initio dicant, se prophetasse in diebus Ozia, Iotham, Achaz, & Ezechia: tamen Eusebius in Chronico, & sanctus Hieronymus in primum caput Osee, scribunt. Oseam fuisse primum, & Isaiam secundum inscribenda prophetia. Et videtur hoc posse confirmari, tum ex illis verbis Osee, Principium loquendi Domino in Osee; quo significari videtur, inter multos, qui eodem ferè tempore prophetauerunt, primum fuisse Oseam; tum ex eo, quod Oseas addit, se visionem vidisse, non solum in diebus Ozia, sed etiam in diebus Hieroboam: ut videlicet significaret, se visionem vidisse, & prophetasse ad initium Regni Ozia, quod concinxit cum fine Regni Hieroboam: Isaías autem non meminat Hieroboam, quia non prophetauit in

in diebus eius , ac per hoc non prophetauit ad initium Regni Oziæ, sed postea. Ex qua ratione sequitur, Isaiam debere collocari post Ioelem , & Amos, qui fuerunt contemporanei Oziæ: & Amos dicit , se prophetasse in diebus Oziæ Regis Iuda , & in diebus Hieroboam filii Iosas.

Isaias igitur vñus est & primus ex maioribus Prophétis, scripsit librum magnum , imo etiam maiorem, quam vñus alius Propheta, & scripsit ante omnes alios Prophétas maiores.

Dicuntur enim Prophétæ maiores , qui singuli suos scripserunt libros integros ; minores autem dicuntur illi, quorum prophetiæ omnes simul vñico libro apud Hebreos continentur. Fuit vir nobilis ex tribu Iuda, & facundissimus , vt ex eius volumine quiuis intelligere poteat. Scripsit autem de aduentu Christi, de nativitate eius ex Virgine, de vita, de prædicatione, de Regno, de miraculis, de passione, de sepultura, de aliis eius mysteriis, vt Euangelista potius, quam Propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione Gentium , & de gloria Ecclesiæ planè admirabiliter. Obiit sub Manasse Rege filio perditissimo Ezechiæ Regis optimi; iussum eiusdem Manasse sectus in duas partes crudelissimo supplicio , vt Epiphanius testatur in libro de vita & morte Prophetarum. Sed Deus eodem auctore Epiphanio, sepulchrum eius gloriosum miraculis reddidit.

De Abdia 3195.

Abdias ab Eusebio in Chronico ponitur temporibus Achab Regis Israel, ac per hoc longè ante Oseam, & Isaiam , & Ioel, & Amos. Idem videntur sensisse sanctus Hieronymus, & sanctus Epiphanius. Abdias enim à sancto Hieronymo in commentario creditur esse ille dispensator domus Achab Regis , qui abscondit centum Prophetas, eosque pauit, quo tempore Iezabel vxor Achabi Prophetas Domini persequebatur: de qua re loquitur Scriptura libro tertio Regum , capite decimo octauo. Sed Epiphanius hunc eundem Abdiam Prophete-

phetam existimat esse illum quinquagenarium Principem, cui pepercit Elias, ne ab igne de cœlo misso absumeretur. De qua historia Scriptura loquitur libro quarto Regum, capite primo. Neque dissentit Epiphanius à Hieronymo, quia potest fieri, ut ille, qui erat dispensator in domo Achab, postea factus sit Dux militiæ in domo Ochoziæ filii Achab. Sed maxima difficultas est, quia idem sanctus Hieronymus in primum caput Osee scribit, Abdiam fuisse contemporaneum Osee, Ioeли, & Amos, & quartum locum habere inter Prophetas minores: & non potest fieri, ut ille Abdias, qui vivit tempore Achab, peruerterit ad tempora Ozia, & Ezechiae, in quibus temporibus prophetarunt Osee, Ioeли, & Amos. Achab enim antiquior fuit Ozia, plus centum quinquaginta annis.

Contra autem videtur Abdias posterior fuisse non solum Osea, Ioeли, & Amos, sed etiam Michæa, & Iona, & aliis multis. Nam in prophetia sua meminuit belli Chaldaeorum contra Hierusalem, & captiuitatis eiusdem urbist ranquam iam peractæ, & præteritæ, ut videatur collaudus post Hieremiam.

Mihi tamen placet sententia sancti Hieronymi, qui (ut paulo ante dixi) facit Abdiam aequalem Osee, Ioeли, & Amos. Quod autem alibi dixit, Prophetam Abdiam fuisse dispensatorem domus Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quâdam Iudaica dixisse videtur, quæ traditio non alio fundamento nititur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdiae.

Quod autem hic Propheta meminerit captiuitatis Babylonicae, non cogit, ut sentiamus, illum propheta esse post captiuitatem: nam more Prophetarum loquitur de captiuitate illa futura per verbum præteriti temporis.

Igitur Abdias prophetauit contra Idumæos, & non solum prædixit exitium eorum, sed etiam causam exitii, quia videlicet tempore captiuitatis Babylonicae futuri essent Idumæi socii Chaldaeorum contra filios Israhel.

Obiit

Obiit hic Propheta in pacè, Epiphanius auctore loco citato.

De Iona. 3195.

Ionas Propheta eodem tempore prophetauit, quo sūt periores Prophetæ, vt scribunt sanctus Hieronymus in prologo Iona, Eusebius in Chronicō, & libro decimo de præparatione Euangelica, capite vltimo, & sanctus Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei, cap. 27. Prophetauit autem Iona contra Ninivitas, & exiit illis prædixit. Et quamvis agentibus illis pœnitentiam Deus pepercerit: tamen postea reuersis ad iniuriam Deus exiit illis immisit, quod Iona prædixit, vt habemus in libro Tobiae cap. 12.

Sanctus Hieronymus in prologo Iona refert verba Tobiae, quibus exp̄ressè dicitur, euertendam Ninuem, vt prædixit Iona. Sed in nostro libro Tobiae cap. 12. non habetur nomen Iona, sed solum, Prop̄ erit interitus Ninue, non enim excidit verbum Domini.

Hunc Ionom, scribit Epiphanius in libro de vita, & morte Prophetarum, esse puerum illum, quem suscitauit Elias ad preces Viduæ Sareptanæ. Quod idem ex traditione Hebræorum refert sanctus Hieronymus in prologo Iona. Quofundamento nitatur hæc traditio, non scio, certè tempora parum cohærent.

De Michæa. 3223.

Michæas prophetauit paulò post supradictos. Scribit enim initio prophetiæ suæ, se prophetasse in diebus Ioatham, Achaz, & Ezechia; & omittit Oziam, quem Oseas, Isaias, & Amos posuerunt. Proinde prophetauit initio Regni Ioatham, id est, anno mundi 223. Prædictit hic Propheta captiuitatem primam deceptricium, & secundam duarum tributum: prædicat aduentum Christi, & nativitatem in Bethlehem, & conversionem Gentium ad Ecclesiam Dei.

De Nahum. 3264.

NAHUM Elcesæus prophetauit post abductas decem tribus in captiuitatem a Salmanasar Rege Assyriorum, ut testantur sanctus Hieronymus, Theodoreetus, & Theophylactus, in præfatione in Nahum; si-dem volunt eum prophetasse tempore Ezechiæ: illo enim anno decem tribus in captiuitatem ductas esse constat ex libro quarto Regum, capite decimo octavo. Itaque tempus prophetæ Nahum incidit in annum mundi 3264.

Prædicit hic Propheta exitium Regis Assyriorum, & vastationem Niniæ per Chaldaeos. Et Iudeis predicit, non præualitatum Regem Assyriorum contra Hierusalem, sicut præualuerat contra Samariam. Obiit in pace, teste sancto Epiphanio in lib. de vita & morte Prophetarum.

De Habachut. 3283.

HABACHUC prophetauit ante captiuitatem duarum tribuum, ut docet Epiphanius in libro de vita, & morte Prophetarum; & in Chronico Hebræorum, quod Seder olam vocant, dicitur Habachuc prophetasse sub Rege Manasse filio Ezechiæ, id est, post captiuitatem decem tribuum, sed ante captiuitatem duarum tribuum. Manasses autem regnare cœpit anno mundi ter millesimo, ducentesimo, octogesimo tertio.

Multi tamen graues auctores volunt, Habachuc prophetasse post captiuitatem Babyloniam, ut sanctus Hieronymus in prologo ad hunc Prophetam, Theodoreetus, & alii. Ducuntur hi auctores illo arguemento, quod Habachuc Propheta, Angelo eum rapiente, & deferente, attulerit prandium Danieli in lacu leonum constituto; ac per hoc vixerit tempore Danielis, & ad initium Imperii Cyri Regis Persarum. Sed nos priori sententiæ adhæremus, quoniam ipse Habachuc disertis, & multis verbis prædicit aduentum Regis Babyloniam ad capiendos Iudeos. Non est autem

autem moris Prophetarum loqui de rebus præteritis per verba temporis futuri : sed è contrario prædicere futura per verba temporis præteriti. Annuntiare enim præterita, tanquam si essent futura, vnuisquisque potest sine spiritu prophetæ.

Ad argumentum autem de allatione prandii ad Danielē, facile responderi potest, non esse eundem Habachuc Prophetam vnum ex maioribus & Habachuc Prophetam, qui tulit prandium Danieli : sicut non est idem Michæas Propheta, qui vixit tempore Achab Regis Samariæ cum Michæa Propheta, qui vnuus est ex duodecim Prophetis minoribus.

Ergo Habachuc de tribu Simeon prædicat aduentum Chaldaeorum, & Babyloniam captiuitatem. Prædicat etiam vastationem eorundem Chaldaeorum, quæ facta est per Medos, & Persas. Et tandem prædicat aduentum Christi, passionem, resurrectionem, & secundum aduentum in gloria.

De Sophonia. 3340.

Sophonias prophetauit, ut ipse restatur in diebus Iosias Regis & quia non designat Sophonias annum Regni Iosiae, ut facit Hieremias, intelligendum est, Sophoniam prophetasse ad initium Regni Iosiae, id est, anno mundi ter millesimo, trecentesimo, quadragesimo. Hoc enim anno cœpit regnare Iosias. Porro hic Propheta concionatur contra peccata, & hottratur ad pœnitentiam, & prædicat excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, & aliarum Gentium. Prædicat etiam conuersionem Gentium, & ruinam Idololatriæ. Denique prædicat Christi resurrectionem, Iudæorum execrationem, & exitium ultimum, & Ecclesiæ gloriam, & felicitatem.

De Hieremias. 3337.

Hieremias Propheta secundus ex maioribus prophetaire cœpit anno tertio decimo Regni Iosiae, id est, anno ter millesimo, trecentesimo, trigesimo septimo ab orbe

orbe condito, vt ipse initio libri sui testatur, & prophetauit vsque ad annum vndecimum Sedecię Regis, qui fuit ultimus Rex Hierusalem: & tunc completa fuit captiuitas Babylonica. Fuit autem Hieremias ex tribu Sacerdotali, vir mitissimus, & sanctissimus, & post multos labores, & angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutavit. Vide Epiphanius de vita & morte Prophetarum.

Scripsit autem, vel dictauit insigne volumen, in quo populum, & Principes eius ad pœnitentiam multis sermonibus hortatus est. Praedixit imminentem ruinam Hierusalem, & templi Domini, & totius Regni. Praedixit inulta de Christi aduentu, de testamento nostro, deque aliis Christianis mysteriis apertissime.

Addidit Hieremias ad finem libri sui threnos, id est, lamentationes, carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis suę corporales, & spirituales.

Addidit denique epistolam ad populum captiuum in Babylone, qua hortatur illos, vt in fide veri Dei persistant, & ab Idolorum cultu se abstineant, quam epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

De Baruch. 3366.

Baruch minister, & amanuensis Hieremie, preter ea, quæ scripsit Hieremia dictante, vt colligitur, ex capitulo trigesimo sexto Hieremie, scripsit proprium volumen quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Hieremie. Prophetauit autem Baruch tempore Iechonias Regis, vt ipse testatur initio sui voluminis Regnauit vero Iechonias anno mundi 3366. & solis tribus mensibus regnauit. Proinde hoc ipso anno Baruch prophetauit, & praedixit apertissimè Dei Incarnationem, & apparitionem in carne humana. Et quamuis hic liber non inveniatur in Hebraicis codicibus, & excidisse, & perire esse credatur, tamen citatur passim à Patribus sub nomine Hieremie & à sancto Cypriano lib. 2. contra Iudeos ca.

J. &

¶ & à sancto Cyrillo libro o. in Julianum citatur sub nomine Baruch.

Vide si placet , defensionem huius libri Canonici in nostris Controversiis lib. i. de verbo Dei.

De Ezechiele 3371.

Ezechiel tertius ex maioribus prophetare cœpit (vt ipse testatur cap. .) anno quinto transmigrationis Iechoniam Regis , qui fuit annus mundi ter millesimus trecentesimus septuagesimus primus. Fuit ipse quoque de genere Sacerdotali vir optimus, & sanctissimus, & prædicabat concipiis suis , eosque ad virtutemhortabatur, sed mercedis loco ab ipso Principe populi sui obtruncatus occubuit. Prædixit reuersionem populi ad propria loca, & aduentu Domini, & Baptismo , aliisque Christi mysteriis multa, sed obscurè, maximè de structura templi vaticinatus est.

De Daniele 3398:

Daniel quartus ex prophetis maioribus, abductus est in captiuitatem adhuc puer, & perseverauit in captiuitate usque ad Cyrum Regem Persarum, id est usque ad finem captiuitatis. Cœpit autem prophetare anno secundo Nabuchodonosor Regis (vt ipse testatur cap. 2.) sed annus ille secundus non intelligitur ab initio regni , sed ab initio Monarchia , quam inchoauit deuastata Aegyptio. Incidit autem hæc deuastatio , & initium Monarchia in annum vicesimum tertium regni eius.

Itaque secundus annus Monarchia notatus à Daniel, est annus regni vicesimus quartus , & annus mundi 3398. Fuit Daniel de tribu Iuda , vir nobilis, & spiritu sapientia: & prophetæ plenissimus, atque ea de causa gravissimus Regibus etiam Idololatriis , & ab eis magnis honoribus cultus. Scripsit multa de Christo , & de tempore aduentus eius, nec non de morte eius , & de excætione Iudæorum , item de Antichristo, & præliis eius. Prædixit progressum quatuor præcipuorum Regnum, & de bellis futuris inter Græcos, & Persas, & inter suc-

cessores Alexandri Magni tanta perspicuitate, ut aliqui putauerint, sed falso, ea scripta fuisse multo posterius, quam revera fuerint. Liber hic partim Hebraicè, partim Chaldaicè scriptus est. Didicit enim Daniel in Babylone; iussu Regis, linguam, & literas Chaldæorum. De partibus quibusdam Danielis, quæ ab hereticis non recipiuntur, vide in primo nostro libro de Verbo Dei.

De Aggæo. 3465.

Aggæus prophetare cœpit anno secundo Darii Regis Persarum, mense sexto ut ipse initio testatur. Fuit autem annus ille ab orbe condito 3465. Concionatur Aggæus ad populum, eum exhortans ad reædificationem templi, etumque grauiter increpans, quod essent diligen-tiores in domibus suis ædificandis, & ornandis quam in domo Dei reædificanda. Et prædictit, templum hoc se-cundum fore multo glorioius, quam fuerit primū. Quod intelligitur de gloria templi ob Christi præsentiam, siue de Ecclesia Christi, non de structura materiali, ut sanctus Augustinus ostendit libro decimo octavo de Ciuit. Dei cap. quadragesimo quinto.

De Zacharia. 3465.

Zacharias illo ipso anno secundo Darii prophetauit sed mense octavo, ut ipse testatur. Itaque Aggæus duobus tantum mensibus Zachariam præcessit. Ipse quo-que hortabatur populum ad ædificandum templum, & ad timorem Domini, & obedientiam mandatorum. Prædi-xit quoque multa per varias similitudines de felicitate Ecclesiæ Christianæ, & ultima perditione Iudæorum.

De Malachia. 3521.

Malachias vltimus duodecim minorum Propheta-rum, prophetauit post Aggæum, & Zachariam, tempore Artaxerxis Regis Persarum. Nam capite secundo reprehendit Iudæos, qui duxerant filias alienigenas in uxores: & similis reprehensio extat apud Esdram libro primo, capitulo nono, & constat ex præcedentibus capiti-bus,

bus, hanc obiurgationem factam fuisse post templum reædificatum, regnante iam Artaxerxe filio Darii, cuius anno sexto finita est ædificatio templi, ut habetur lib. I. Eldræ cap. 6.

Malachias posterior est Zacharia quantū distat annus secundus Darii ab anno primo Artaxerxis, qui regnare cœpit anno 51. proinde hoc anno vixit, & scripsit Malachias. Hunc Prophetam Origenes existimauit non fuisse hominem, sed Angelum in specie hominis, quia Malachias Hebraicè Angelum significat.

Refellit hunc errorē sanctus Hieronymus in proæmio Malachiæ. Quia si propter nomen Angeli deberet negari Malachiam fuisse hominem, eodem modo quia Osea significat Salvatorem, & Iohannes significat Deum, & Dominum, possemus existimare, Oseam fuisse Christum, & Iohannem fuisse Dominum Deum.

Alij voluerunt Malachiam fuisse Esdrā, & diquā Angelum ob sapientiam, & puritatem vitæ. Hæc est sententia Hebræorum, quam sanctus Hieronymus nec videtur approbare, nec reprobare. Sed communis sententia, quæ omnino sequenda nobis videtur, est, Malachiam fuisse hominē diuersum ab Esdra. Sic docet Eusebius in Chronico, Sanctus Augustinus lib. decimo octavo, de Ciuitate Dei cap. 36. Sanctus Cyrillus in .cap. Malachiæ, qui dicit non esse audiendos, qui contra sentiunt, S. Epiphanius in lib. de vita, & morte prophetarum..

Porro Malachias de tribu Zabulon erat, ex sententia Epiphanius loco citato, & prædicta abolitionē sacrificiorum Iudaicorum, & institutionem sacrificij noui, quod toto orbe offerendum erat. Prædixit quoque ultimum Iudicium, & reuersionem Eliæ Propheta ad conuertendas reliquias Israel, & præter prædictiones vehementer concionatus est aduersus negligentiā Sacerdotū, & alia vitia. Deniq; in pace quieuit adhuc iuuenis, teste Epiphanio.

De Tobia. 3236.

Historia Tobiae, & Iudith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum, & Abachuc, sed

visum est coniungere omnes Prophetas simul, neque in chorum ipsorum extraneos admittere. Igitur Tobias senior cum Tobia iuniore translatus fuit in Ciuitatem Ninive a Rege Assyriorum Salmanasar, & perseverauit usque ad aliquot annos Senacherib successoris eius.

Contigit autem captiuitas illa anno sexto Ezechiae Regis Iuda, qui fuit nonus Olea Regis Israel, & ab orbe condito 320 4. Quis fuerit auctor libri Tobiae, non est omnino certum, sed creditibile est auctorem fuisse Tobiam iuniorum, vel seniorem.

Siquidem Angelus Raphael cap. 12. iussit Tobiae utrique, ut narrarent, siue (ut habetur in textu Graeco) scriberent omnia mirabilia Domini, quae ipsi viderant, patientiam videlicet. obiæ senioris, & consolationem magnam quam à Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaque scriptus videtur liber anno mūdi 3252. mortuo Senacherib. Quæ autem in fine libri adduntur de morte Tobiae iunioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt.

Porro liber Tobiae scriptus est Chaldaicè, non Hebraicè, & ideo fortasse ab Hebreis non agnoscitur pro libro sacro. Transtulit eum in linguam Latinam sanctus Hieronymus, ut ipse testatur præfatione in Tobiam, & ab Ecclesia Catholica inter Sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio Tertio Carthaginensi, ex Innocentio Primo in epistola ad Exuperium, ex Gelasio I. in decreto de scripturis Sanctis, & Cypriano in ser. de eleemosyna. ex Ambrosio in lib. de Tobia, ex Basilio in Oratione de auaritia, denique ex Concilio Trident. sess. 4.

De Eliachim auctore libri Iudith. 3270.

Quando contigerint quæ narrantur in libro Iudith, maxima quæstio est: alii enim volunt ea contigisse post captiuitatem Babyloniam, quia in primo capite fit mentio Regis Nabuchodonosor: alii volunt contigisse ante captiuitatem illam, sed post captiuitatem decem tribuum, quæ facta fuit tempore Ezechiae Regis Iuda: & quāuis tam hi auctores, quam illi varient circa tempus præcīsum

sum: nobis tamē videtur nō posse assignari aliud tempus,
quam inter duas captiuitates, tempore videlicet Regis
Iuda Manasse, & Regis Assyriorum Merodach Baladam,
quem putamus alio nomine dictum esse Nabuchodono-
sor, qui regnauit etiam in Babylonia. Sed de hac refusè
tractauimus in lib. 1. de Verbo Dei cap. 12.

Itaq; tempus huius historiæ erit annis mūdi ter mil-
lesimus ducentesimus septuagesimus. Quis auctor fuerit
huius libri, incertum est ex sententia sancti Isidori lib. 6.
Originum cap. 2.

Sed si fidem habeamus Iosepho in libro primo contra
Apionem, auctor erit Eliachim, qui alio nomine diceba-
tur Ioachim Sacerdos magnas Hebræorum, de quo fit
mentio in libro Judith cap. 4. & 15.

Scribit enim Iosephus in more positum fuisse apud Æ-
gyptios, & Babylonios, & potissimum apud Hebræos. vt
res gestæ publicè, scribendæ committerentur Sacerdoti-
bus magnis: tempore autem Judith Sacerdos magnus e-
rat Eliachim, vt supra diximus.

Porro liber Judith quamuis ab Hebræis, & hæreticis
modernis reiiciatur ex Canone Scripturarum diuinarum,
ramen Cōcilium Nicenum primum hunc librum retulit
in numerum librorum diuinorum, teste S. Hieronymo
præfatione in Iudit. Quod idem fecerunt Concilium ter-
tium Carthaginense cap. 4. & Tridentinum less. 4. &
Decretum Gelasij I. de Scripturis sanctis, & Epistola De-
cretalis Innocentii I. ad Exuperium, & sanctus Augu-
stinus libro secundo de doctrina Christiana cap. 8. & S.
Isidorus lib. 6. Originum cap. 1. & Cassiodorus lib. 1. di-
uinarum lectionum, & Rabanus li. 2. de Institutione Cle-
ricorum, & alii Patres.

Recenset hic liber, victoriam diuinitus reportatam ab
Hebræis cōtra Holofernē Principē militiæ Assyriorū per
virtutē nobilissimæ & castissimæ fœminæ Judith Viduæ.

De Esdra, & Nehemia. 3521.

Esdras Sacerdos, vixit sub Artaxerxe Rege Persarum.
Qui imperare cœpit anno ab orbe condito 3521. Scri-
B 3 pſit au-

psit autem librum primum Esdræ, & fortasse etiam secundum, ut censem sanctus Isidorus libro 6. Originum cap. 2. quamvis probabilius sit, secundum librum a Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Iudeam ab eodem Artaxerxe, cuius pincerna erat. Libri tertius, & quartus inter apocryphos computantur.

Potro Esdram sancti Patres docent instauratorem fuisse Scriptorum librorum, quod non ita intelligendum est, quasi Scripturæ sacræ omnes perierint in euersione ciuitatis, & templi sub Nabuchodonosor, & ab Esdra diuinitus inspirato reparatae fuerint, ut fabulatur auctor lib. 4. Esdræ cap. 1. sed, quod scripturas Mosis, & Prophetarum in varia volumina descriptas, & in varia loca dispersas, & tempore captiuitatis non diligentet conservatas, Esdras, summa diligentia collectas ordinauerit, & in unum quasi corpus redegerit.

Vide Irenæum lib. .cap. 5. Tertullianum lib. de habitu mulierum, Clementem lib. 1. Stromatum, Hilarium præfatione in Psalmos, Chrysostomum hom. in epist. ad Hebreos, Theodoretum præfatione in Psalmos.

Addit sanctus Hieronymus in prologò galateo, Esdram inuenisse nouas literas Hebraicas, & antiquas Samaritanis dimisisse.

De Mardochæo auctore libri Esther.

3528.

DE tempore historiæ Reginæ Esther magna est interscriptores controuersia: nobis olim placuit, & hodie etiam placet sententia Iosephi Hebræi lib. 1. antiquatum cap. .nec non Seueri Sulpitij lib. 1. de sacra historia, Nicephori Constantinopolitani in Chronico, & aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico. Iuxta hanc sententiam Esther nupsit Asuero Artaxerxi Longiniano, anno eius 7. qui incidit in annum mundi 528 quo eodem tempore floruit Esdras, ut supra diximus, atque hac de causa sanctus Isidorus libro sexto Originum, ca. secundo docuit, auctorem libri Esther esse Esdram.

Sed

Sed multò probabilius est, auctorem fuisse Mardochæ-
um patrum, & nutricium ipsius Esther, & qui illi semper
adfuīt, & res gestas omnium optimè nouit.

Vide plura si placet, in Controversiis nostris lib. I. de
Verbo Dei cap. 7.

De 72. Interpretibus, & Aristæa. 3720.

ANNO septimo decimo Ptolomæi Philadelphi Regis
Ægypti, qui fuit annus Mūdi ter millesimus septin-
gentesimus vicesimus, facta est celeberrima illa versio sa-
craū Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam à se-
ptuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo di-
uino, conuenientibus tot hominibus in vnam, & eandem
versionem, ut scribunt Philo li. 2. de vita Mosis, Iosephus
lib. 2. antiq. cap. 2. Tertullianus in Apologetico ca. 18. A-
thanasi. in Synopsi, Epiphanius de mensuris, & ponderibus
& Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45. sed Epiphanius
non solum nominat Regem, sed etiam annum 17. Regni
eius. Qui fuerint viri illi doctissimi, & nomina exponit A-
ristæas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus,
qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. edi-
tionis secundæ. Et quamvis aliqui recentiores existimēr,
Aristhæam, qui nunc exstat, nō esse illum, qui vixit tem-
pore ipsorum septuaginta interpretum, sed confitum ab
Hebræis; tamen vere esse illum ipsum, satis probatur ex
eo quod omnia, quæ citant ex Aristæa Iosephus l. 12. an-
tiq. c. 2. Tertullianus in Apologetico. cap. 18. Eusebius li-
bro octavo de præparatione Euangelica capite primo, &
sanctus Hieronymus præfatione in Pentateuchum, inue-
niuntur in hoc nostro ad verbum.

Vide, si placet, de Lxx. Interpretibus in nostro lib. 2. c.
6. de Verbo Dei.

De Iesu Sirach. 3759.

Iesus Sirach, qui auctor est libri sacri, qui dicitur Ecclæ-
siasticus, vixit tempore Ptolomæi Euergetis Regis Ægy-
pti,

pti, ut ipse testatur in præfatione ad librū suum. ipse autē se nominat Iesum Sirach in fine capitī quinquagesimi. Hunc sacrum librum hæretici recentiores contemnunt: sed eum ut diuinum, & sacrum agnoscunt Patres Concilii Carthaginensis tertii ca. 47. & Trid. sess. 4. Item Pontifices, Innocentius in Epist. ad Exuperium, & Gelasius in Decreto de libris sacris: item S. Aug. de doctrina Christiana li. 2. c. 8. Epiphanius in hæresi Anomœorum, Cyprian. libr. 3. epist. 9. Clemens Alexandrinus. lib. 7. Stromatum, & alii.

De auctore librorum Machabæor. 3860.

LIbri Machabæorum vltimi sunt inter sacros libros testamenti veteris: sunt autem duo libri nam duo alii inter apocryphas numerantur)quorū prior continet res gestas Matathiae, & trium filiorum eius Iudæ Machabæi, Ionathæ, & Simonis ab anno mundi 82. vsque ad annū 385. Huius libri ignoratur auctor sed credibile est auctor fuisse Ioannem Hiricanum, filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, & fuit summus Sacerdos post patrem suum Simonem, & habuit vitam diuturnam, & pacificam in principatu annorum triginta & unius, & fuit non solū Sacerdos, & Princeps, sed etiam Propheta, vt scribit Iosephus li. 1. antiq. cap. 16. Posterioris libri Machahæorum, qui continet historiam eandē, sed paulo altius incipit, & narrat martyrium insigne Eleazari, & septem puerorum Machabæorū, & Marris ipsorum, auctor fuit Iason Cireneus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit: quorum librorum epitomen solum habemus, vt dicitur li. 1. Machabæorum cap. 2. Hos libros, quicquid hæretici obrepant, vt vere Canonicos habet Ecclesia, vt perspicuum est ex Concilio Tertio Carthaginensi. & Tridentino, ex Epist. Innocentii primi ad Exuperium, & Gelasio in Decreto de Scripturis sacris, ex sancto Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, & sancto Augustino lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 1. & libro 1. contra Gaudentium cap. 23. Præter hos libros sacros enumerat sanctus Athanasius in Synopsi aliquos libros apocryphos, qui non extant.

De

De Philone Hebreo. 4024.

PHilo Hebræus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Caio Imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente sua. Hic ponitur à sancto Hieronymo inter scriptores Ecclesiasticos quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub sancto Marco Euangelista, in Ægypto religiosissime viuebant. Et præterea iure numeratur inter scriptores Ecclesiasticos testamenti veteris, quoniam Scripturas diuinas testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura quorum Catalogum refere Eusebius lib. histor. cap. 17. sed non omnia extant. Eius opera ex editione Basileensi anni millesimi quingentesimi sexagesimi primi hæc sunt.

De mundi opificio lib. 1.

De allegoriis legis 2. De Cherubim 1.

De sacrificiis Abel, & Cain 1.

Quod deterius potiori insidietur 1.

De Agricultura 1. De plantatione Noe 1.

De temulentia Noe 1.

In illud, Resipuit Noe 1. De Gigantibus 1.

Quod Deus sit immutabilis 1.

De confusione linguarum 1.

De Abrahamo. De Profugis 1.

Quis rerum diuinarum sit haeres 1.

De Ioseph 2. De Mosis vita 3.

De Charitate 1. De creatione Principiis 1.

De fortitudine 1. De Decalogo 1.

De Speciabilibus legibus 1.

De Circumcisione 1. De Monarchia 2.

De Sacerdotum honoribus 1.

De Victimis 1. De offerentibus victimas 1.

De Meretricis mercede 1.

Quod omnis probus liber 1.

De Vita contemplativa 1.

De Nobilitate 1. De præmia, & paenam 1.

De execratione 1.

Quod Mundus sit incorruptibilis 1.

In Flacum 1. De Legatione ad Caium 1.

De his libris non est controvèrsia.

Circumfertur nomine Philonis Breuiarium temporum, sed ab omnibus reiicitur, ut etiam alii historici, qui cum eo Breuiario simile editi sunt.

De Iosepho Hebræo. 4057.

Iosephus Hebræus floruit sub Vespasiano Imperatore, cui prædixit Imperium, cum ab eo captiuus detinetur. Scripsit

Antiquitatum Iudaicarum, lib. 20.

De bello Iudaico 7.

Contra Apionem 2.

De Machabæis. 1.

Vitam ipse suam addidit ad lib. antiquitatum.

Porro in libris antiquitatum comprehendit Iosephus historiam sacram à Genesi usque ad Machabæos, & deinde addidit reliquam historiam usque ad sua tempora.

Libro autem decimo octavo antiquitatum c. quarto, reddit Christo mirabile testimonium, affirmans eum fuisse plusquam hominem, & verè Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, & à Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse: cuius testimonium Eusebius libro primo histor. Ecclesiast. cap. undecimo, & sanctus Hieronymus in libr. de Scriptoribus Ecclesiast. in Iosepho.

Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi, & ideo videri superadditum à Christianis: facile refelli potest. Nam Hebræi non habent Iosephum filium Matathiae, qui Græcè scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur, sed Iosephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraice: proinde non est mirum, si Iudæi in suo Iosepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, & non sit superadditum, sed verum & germanum Iosephi testimonium.

Certè sanctus Hieronymus, & Eusebius viri doctissimi fuerūt, & omnes penè libros veterum Scriptorū legerunt: & nun-

& nunquam hoc testimoniū de Christo, Iosepho tribuis-
sent, nisi sciuisserent verē ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam
pleni sunt fabulis Iudaicis, & erroribus perniciosis: neq;
verum esse arbitror, quod Io. Garetius, alii nonnulli
scribunt, Rabinos aliquot, quorum opera nunc extant,
scriptissime ante aduentum Christi, video enim passim ab iis
mentionem fieri euersionis Hierusalem, & templi per Ti-
tum Vespasiani filium.

DE SCRIPTORIBVS EC- CLESIASTICIS TESTA- MENTI NOVI.

Seculum primum ab anno Dom.

i. ad 100.

De S. Petro Apostolo. Anno Dom. 34.



ANCTVM Petrum in Catalogo primum po-
nimus, & signamus anno 34. Quia illo anno
Domini viuebat, & Ecclesiam regere cœpe-
rat.

Quamvis enim extet apud Eusebium lib. 2. hist. Ec-
cles. cap. . Epistola Domini nostri Iesu Christi scripta
ad Abagaram Regem. Edessa, tamen ea epistola nun-
quam fuit admissa ab Ecclesia inter quas sine dubio ad-
missa fuisse, si ab ipso Domino scriptam fuisse constarer.

Quamvis etiam extent Cantica B. Virginis Matiae, Za-
chariae, & Simeonis, ea tamen non ab ipsis, sed à sancto
Lucia scriptis mandata fuerunt.

Denique quamvis inter epistolatas sancti Ignatij Marty-
ris inueniatur vna B. Virginis Mariæ ad ipsum Ignatiū, ea
tamen non habetur in Græcis codicibus, neq; eius memi-
nerunt veteres Patres ante sanctum Bernardum: proinde
non constat, an sit verē B. Virginis epistola.

Quod